



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam
Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In
Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo
Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Prologvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

DE
CONTEMPLATIONE
DIVINA
LIBER QUINTUS.

De tertia ac suprema contemplationis hierarchia, qua Mystica
Theologia nuncupatur.

PROLOGVS.



AGENDVM nobis modò de tertia contemplationis hierarchia, quæ inter omnes, quæ ad Spiritus sancti dona pertinet, supremum locum obtinet, & de ejus gradibus discernendum. Nam quamvis quæ de DEO, de TRINITATE sanctissima contemplatio est (quam ad secundam hierarchiam spectare diximus) nobilissima sit, nec videatur, qui ad hujusmodi contemplationem euectus fuerit, sublimitus aut altius ascendere posse; siquidem ultra DEI essentiam, aut TRINITATIS beatissimæ unitatem ac Personarum diversitatem

nihil est, aut cogitari potest; verè tamen supra hanc quam de Trinitatem diximus contemplationem, excelsiorem autem contemplationis gradum omnino inuenies, non quidem in substantia, aut in objecto altiore, sed in modo longè pleniori & exactiore. Duplex namque est, ut infra uberiùs explicabimus, DEVM cognoscendi seu contemplandi modò: per positionem alter, alter verò per negationem; quem perfectiorem ac sublimiorem esse, ex D. Dionysii, D. Thomæ, ac aliorum Patrum sententia, ut ibidem etiam dicemus, communi consensu iudicatur: tum quia, quæ in hoc vitæ præsentis statu de DEO possumus cognoscere, plenius per negationem, seu ablationem nobis innotescunt; tum etiam quia, quæ per ablationem sive negationem perfectionum creaturarum de DEO intelligamus, magis sunt à sensibus ac imaginatione remota, quàm illa quæ per positionem, seu affirmationem de DEO cognoscimus, sive cognitio hæc à creaturarum perfectionibus ad Creatoris attributa assurgat, sive in ipsius Creatoris attributa & perfectiones immediatè contemplationis oculos defigat.

Quis sit nobilior, & magis supernaturalis?

Legend. nost. Ioan. à Jesu-Maria cap. 3. & 4. suæ Theolog. mysticæ & Tractatus 8. scholæ orationis.

Porro hujus tertie hierarchiæ est ad DEI contemplationem medio intellectus, aut sapientiæ dono per negationem assurgere, ac divinam ingredi caliginem, sive radium tenebrarum, ut S. Dionysius loquitur, qui divinam contemplationem tenebras vocat, propter summæ lucis incomprehensibilitatem; & similiter radiosam vocat, quia anima intuens eam, summè illustratur: quocirca in hac contemplatione, teste Dionysio, relinquenda sunt sensibilia cuncta, imò & intelligibilia, quæ summo DEO per positionem adscribi solent, ac ipsum DEVM puro ac defæcato mentis oculo contemplari oportet. Est quippe hic nobilissimus contemplationis gradus, & valdè supernaturalis & mysticus; quia Spiritu sancto desuper radiante exilitus animæ infunditur, DEO ipso mentem supernaturaliter tangente, illustrante, ac ungente: in qua contemplatione mens humana se habet quasi Angelico modo, veritatem conspiciens simplici apprehensione & intuitu. In hac quoque Deiformi contemplatione consistit mystica illa Theologia, quam descripsit magnus ille Dionysius Areopagita, qua ad DEVM conscenditur per omnium entium negationem, & in qua per experimentalem atque ardentissimum DEI amorem cognoscitur DEVS, idèq; clarissima quadam caligine per immediatam & certissimam cum DEO unionem ecstaticam, ut infra latius dicemus. Quare ab hac hierarchia, contemplatio DEI pura sine ulla admixtione imaginationis, aut saltem ita modica, ut

vix per-

The

Oper. Sp. S. Theol. Myst. O. VIII.

vix per
Richar
docuit
totum
lud. sub
intellect
& repa
gnatio
malisp
obstant
Quid
has off
ficio.
est scilicet
romu
Hact
Q
ra De
in ant
& in
dines
tum
licet
subli
cum
que
cap
nem
roicu
quif
prop
visti
liber
& 2
na,
tio f
unt
forb
mis
rel
len
ad
dis
m
su
&
d
p
n
E
i

vix percipi possit, inchoatur. vnde merito de hac verè possumus affirmare, quod Richardus libro 3. de contemplatione cap. 1. alio in proposito, & forsitan non ita certè docuit, dicens: *Attende quàm rectè designetur per Propitiatorium, quod erat quidem totum non auratum, sed aureum totum, de auro solo mundo atque purissimo factum, illud iubetur fieri de auro puro & mundo; tu doceris ex eo, in hac consideratione uti debere intellectu subtili & puro. Quid hic facit phantasmatum corporalium creatrix, moderatrix & reparatrix imaginatio? Recedat procul ab hoc negotio tot phantasiarum formatrix imaginatio, qua tot corporalium formas quotidie novas creat, antiquas reparat, & per tam multiplices variosq. modos pro arbitrio disponit & ordinat. Nihil hic profunt, imò multum obsunt suorum simulacrorum tam copiosa multitudo. Quid te improbum huic operi ingeris? Quid te in huius contemplationis officinam cum tanta importunitate intrudis? Quid tu in hac officina? quid tibi cum pura intelligentia? Nescis operari in auro, nihil tibi in tali artificio. Nescis purgare aurum, qui semper turbas intellectum purum. Aurum tuum mixtum est scoria, imò auri tibi nulla omnino est copia. Faciendum est Propitiatorium novum de auro mundissimo: non est tibi quod offeras, non est omnino quod agas ad tale & in tali negotio.* Hæc enus Richardus.

Quæ ut melius ab omnibus capiuntur, notandum erit, non posse nos in hac vita DEVM perfectè contemplari, sed ut docuit Apostolus 1. Corinth. 13. per speculū in anigmate, videlicet per formas similitudinèque creatas, secundum quod per eas & in eis repræsentantur, relucetque DEVS. Interdum autem sic hoc per similitudines corporales, interdum per formas imaginarias sive intelligibiles, phantasmatum non expertes, ut in duabus hierarchiis præcedentibus contingit; in quibus licet divini luminis radius illustrata mens ad superiorum contemplationem divinā sublimetur gratiā, non tamen ita à similitudinibus corporalibus abstrahitur, ut seculum non deferat phantasmatis cooperationem. Interdum verò sublimius, purius atque divinius, ut sapienter adnotavit Dionysius Carthusianus in Opere de vita inclusi. cap. ult. per species & radios intellectuales, hoc est, per solam intellectualem illuminationem, & spiritualis speciei, aut luminis infusionem; ut contingere solet personis perfectis, heroicis & divinis, quæ sæpe inopinatis excessibus feruntur, seu potius rapiuntur in DEVM, qui frequenter benignissime sic subito & ex improvise prævenit mentes illarum, quod absq. proprio conamine mirabiliter illustrantur & inflammantur à Spiritu sancto, tanque suavissime replentur & consolantur ab ipso, ut ineffabilem DEI circa se charitatem, pietatem, liberalitatem, ac dignationem nequaquam mirari sufficiant; atque tam valide elevantur & afficiuntur in DEVM, ut præclaritate contemplationis, & præferore dilectionis divina, deficiant, & à seipsis alienentur, ac corpore infirmantur, unda q. gratia desuper influentis ferre vix queant: sic q. DEO suum in eos continuante influxum, à seipsis penitus distillant, atque in abyssu lucis æternæ, in fonte divitiarum gloriæ infinitæ demerguntur ac absorbentur, & igne amoris divini quodammodo consumuntur; sic q. dulcissime in DEO obdormiunt, feliciter q. repaulant & conquiescunt, quousque hac gratia tanta tollatur, & sibi ipsis relinquuntur, atque ad solita exercitia remittantur. Tales tam electi à DEO dicere valent cum Propheta: *Quia inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt, & ego ad nihilum redactus sum, & reservi. Itemque: Defecit caro mea & cor meum. DEVS corda mea, & pars mea DEVS in æternum. Et rursus cum sanctissimo Ieremia: Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis exarsuans, clavisq. in ossibus meis, & defeci ferre non sustinens.* Hæc ille.

Sunt igitur hi, de quibus nuper Dionysius, qui tertie hierarchiæ annumerantur, & in tertio cælo, ad quod se raptum fuisse Apostolus ipse testatur, interdum resident; sed quia non omnes æque à DEO illuminantur, nec uno modo ad divina rapiuntur, non immeritò in hac tertia hierarchia triplicem, sicut in aliis, perfectio- nis gradum assignabimus.

Primus erit illorum, qui sapientiæ dono mirabiliter affecti, puræ contemplationi insistant; qui est primus Theologiæ mysticæ gradus. Puram autem eam contemplationem appello, quæ nulla vel saltem imperceptibili phantasmatum admixtione obscuratur. Quare ibi silentibus phantasmatis, animus rebus exterioribus obdormite incipit, ac veluti consopitis sensibus, in quodam mentis excessu DEVM puro intelligentiæ oculo contuetur.

Secundus verò gradus, ac præcedenti superior, quando lumine divino menti contemplativi clariùs affulgente, violentæ quoque charitatis ardore efficaciter prædominante, mens ipsa in dulcissimæ, nobis verò ignotæ & inaccessibleis, caliginosæ DEI claritatis contemplationem elevatur, ac in deliciosissima illa caligine sub umbra dilecti indormit, & dulciter quiescit in pace in idipsum, translata à rerum tumultu ad gaudia interni ac cæliformis silentii: ubi expergesta aliquando, incimis suspiriis ardentissimisque desideriiis, tædiosis atque impatientissimis expectationibus, ostendi sibi dilecti faciem, cum-

Quid per
propitia-
torium
designa-
tur?

Nonpos-
sumus in
hæc vita
DEVM
perfectè
contem-
plari, &
quare?

Tres af-
signatur
contem-
plationis
3 Hierar-
chiæ gra-
dus.

que ipso uniri, non secus ac cervus ad fontes aquarum anhelans, desiderat.

In tertio verò & supremo omnium gradu mens pietate DEI immensa benignissime præventa, DEO ipso apicem affectivæ & verticem intellectivæ potentie immediatè tangente, illuminante & inflammante tam validè, ut imbecillitate confestim & quasi instantaneè defluat & deficiat à seipsa, & super se mirabilitee rapiatur, ac suavissimè prorsus alliciatur, intimeque & amorosè super benignissimo Creatori velut sponso immediatè uniatur ac conjungatur, prorsus ut in beatissimæ Trinitatis mutuo nexu, amore & osculo se mediā inveniat. In hac igitur unione mentis creatæ cum increata Veritate, felicitas hujus vitæ summa consistit, in eaque mysticam Theologiam verè positam esse S. Dionysius docuit, ut infra fusiùs disceremus. Hæc autem tertix hierarchiæ Seraphica contemplatio ad viam unitivam supernaturalem jure pertinet: est enim propria illarum mentium, quæ DEO opt. max. strictissimo amoris nexu copulantur.

Sed antequam ad hos contemplationis gradus accedamus, enucleandum prius erit, num in hac vita possit ulla contemplatio, quæ pura & sine phantasmatum incurfione dicitur, inveniri.

CAPVT I.

Posse dari puram contemplationem, eamque sapientissime in viris perfectis contingere, sine phantasmatum speculatione.

PHILOSOPHI Aristotelem secuti, qui 3. de anima, textu 30. numquam sine phantasmate animam speculati, affirmat, communi consensu docent, in hac vita necessarium esse, operante intellectu circa aliquod objectum, simul operari phantasiā circa illud, vel alterum simile, vel aliquo modo ad illud pertinens; sive moveatur ab intellectu, sive à suo objecto. Et hoc est quod vulgè dicitur; intellectum non posse intelligere in hac vita sine conversione ad phantasmata: quasi velint operationem phantasiæ semper necessariò comitari debere operationem intellectus, saltem in hoc statu.

Hanc verò connexionem sive dependentiam à phantasmate non solum in electionibus circa naturalia objecta, sed etiam in quacumque, etiam supernaturali, omnino esse necessariam, docuit aperitè divus Thom. 1. part. quæst. 48. art. 7. & cum eo ferè communis DD. sententia; ac propterea ipse D. Thom. 1. part. quæst. 94. art. 2. etiam docuit, quòd primus homo in statu innocentie eundem naturalem intelligendi modum habuit per conversionem ad phantasmata: quam ita esse statui hujus vitæ annexam & connaturalem docuit 2. 2. quæst. 173. art. 4. ut etiam in visionibus intellectualibus & supernaturalibus, quæ ex divina illustratione Propheciis contingere solebant, inveniantur.

Pro contrariā verò sententia plurima sunt & aperta Patrum testimonia. D. August. tractat. 102. in Ioan. Cum verò, inquit, spiritalis caperit omnia dijudicare, ipse autem à nemine dijudicari, etiamsi in hac vita adhuc velut per speculum ex parte perspicit, tamen non ullo corporis sensu, non ulla imaginaria cogitatione que capit, aut fingit qualiumcumque similitudines corporum, sed mentis certissima intelligentia DEVM intelligit non corpus esse sed spiritum.

Et infra: Quidquid enim tale spiritualibus de DEO cogitatioibus ex corporum consuetudine occur-

rit, negando atque respuendo, tanquam importunas muscas, ab interioribus oculis abigunt, & sinceritati ejus lucis acquirunt; quæ est ac judice, hæc ipsa imagines corporum suis interioribus affectibus inucentes, falsas omnino esse convincunt.

Idem quoque August. lib. 12. sup. Gen. ad litteram docuit, ubi ex professo tria visionum genera distinguit, nempe corporalem, spirituales, & intellectualem, per comparisonem ad tres caelos; ita ut visioni corporali primum caelum respondeat; spirituali, quam ipse imaginariam vocat, secundum caelum; intellectualem verò tertium caelum. Intendit igitur Augustinus toto illo libro potissimum ostendere, raptum illum D. Pauli ad tertium usque caelum, intelligi debere usque ad visionem intellectualem DEI: deinde in multis locis probat, hæc tria visionum genera distingui penes hoc, quòd visio spiritualis (ut tunc visionem corporalem prætermittam, de qua non est difficultas) velatur circa corporales imagines, si ve similitudines, intellectualis verò visio circa intelligibilia objecta omnino ab imaginatione abstracta. Quæ ut clarius consent, aliqua ejusdem Patris proferamus loca.

Quærit igitur cap. 3. illius libri de raptu divi Pauli his verbis: *Alibi quæri potest, utrum imagines corporis fuerint (nempe ea, quæ in raptu vidit Paulus) an ea substantia que nullam corpori similitudinem gerit, sicut DEVS, sicut ipsa mens hominū, vel intelligentia, vel ratio; sicut virtutes, prudentia, justitia, caritas, &c. quas intelligendo atque cogitando enumeramus, discernimus, definitimus, non utique earum lineamenta vel colores, aut quomodo sonent, aut quid redoleant, aut quid in ore sapiant, aut quid contrariis de calore seu frigore, de lenitate seu asperitate remanent; sed alia quædam visione, alia luce, alia rerum evidentia, eaque longè ceteris præstantiore atque certiore.*

Et infra cap. 5. *Si autem, inquit, spiritus erat, aut corporis imaginem præbuit, aut sic visum est, quem admodum viatur sapientia sine ulla imaginis corporum.*

Deinde cap. 6. speciatim explicans tria genera visionum, ita inquit: *Eccein hoc unoprocepto, cum legitur, Diliges proximum tuum tanquam teipsum, tria visionum genera occurrunt: unum per oculos, alterum per spiritum hominis (id est, imaginationem) quo proximus & absente cogitatur; tertium, per con-*